

tutamque. ac ne notabilis celebritate et frequentia occur-
rentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in
urbem, noctu in Palatium, ita ut praeceptum erat, venit;
exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servien-
5 tium inmixtus est. ceterum uti militare nomen, grave 4
inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem
atque otium penitus hausit, cultu modicus, sermone facilis,
uno aut altero amicorum comitatus, adeo ut plerique, quibus
magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspecto-
10 que Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, 41
absens absolutus est. causa periculi non crimen ullum aut
querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et
gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. et ea 2
15 insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam
non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania
et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot
militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam
de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et posses-
20 sione dubitatum. ita cum damna damnis continuarentur 3
atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, posce-
batur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem,
constantiam et expertum bellis animum cum inertia et
formidine aliorum. quibus sermonibus satis constat Do- 4
25 mitiani quoque auris verberatas, dum optimus quisque
libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pro-
num deterioribus principem extimulabant. sic Agricola
simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam
praeceps agebatur.